



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1657**

§. 19. Et ipse vobis ostendet cœnaculum magnum stratum. v. 12.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

homo. Tu sapienter & caelesti modo. Homo autem miser terreno modo, & infirmo. Et hinc est quod eandem scr: sacram habentes, tot hodieum habeamus explicationes. quid autem faciemus hoc scientes? & ambiguitatem suspectam metuentes? suadeo ut ad operantem te attendamus, & ex factis tuis, sensum tuum interpretemur. ista clara sunt, esto verba, more suo & natura, sint obscura.

§. 19. *Et ipse vobis ostendet cœnaculum magnum stratum. v. 12.*

Video miram conuersionem rerum. Iste Dominus qui intrauit in mundum non potuit habere loculamentum aliud quam fœdum stabulum, nunc migraturus ex hoc mundo accipit magnum cœnaculum, & quidem stratum! aulæis, ac tricliniis lectulisque apparatus. Quid hoc est Domine, amator paupertatis, vis tu prædicator paupertatis acceptare tale cœnaculum non times vt scandalizentur in te plebei homines, & cogrent? Iste dicit, *Beati pauperes quoniam vestrum est regnum celorum* & nunc ipsemet in cœnaculum grande & stratum diuertit! quomodo à nobis plebeis, & egentibus, & angustiatis & laceris & verminosus recedit ad diuites & opulentos, & rapetiis, aulæis, puluinaribus atque omni ornatu stratis incipit delectari? vel salutem hæc acceptare, & admittere audet? & non times notam!

**D**omine Iesu Christe, bono sum pro te animo, & respondebo exprobratibus tibi verbum, verbum stultum. nam tua actio, debet nobis esse informatio. ita iudicare debemus, quod omne id quod tu facis, quod tu permittis, sapientissime fiat & permittatur, neque debemus te vel verbis tuis vti contra te. Fateor quod mundum ingressus es pauper, & tamen cœnaculum grande admittas, sed hoc admittendo paupertatis exemplum non dimittis, in alieno quippe diuersaris, precario illud incolis, sed cur precario tam splendidum admitterbas vel ad horam? vtique monstraturus quid deceat nos Christianos præstare sanctissimi Corporis tui sacramento, in missa conficiendo, & in altari conseruando pro ægrorum & sanorum solatio. Deceat nos magnificentissimas basilicas, templa, altaria, tabernacula, cum præstantissimo apparatu comparare, & tibi offerre, etiam si ludas & qui cum eo sint murmurent, & pauperibus posse impendi garriat. Laudo igitur vos o Christiani, qui templa & altaria Dñi magnificentissima in omni genere ornamentorum, auri, argenti & telæ & purpuræ & gemmarum adornastis, & etiamnum adornatis, apud vos facit pascha Christus cum discipulis, etiam si murmurent qui foris sunt, & cum possunt donaria Domini sibi diripiant: Pergite vos ornare, etiam si illi intendunt spoliare, merces & defensio vestra apud Dominum est,